

abhorream, simulatq; eundem alieni vel leviter de A
 peste suspecto sacramenta administrasse intelligent:
 præcipit ut tempore pestis Capellani constituantur
 sumptibus arari publici, vel collectis singulorum pa-
 rochianorum, qui sacramenta dicti peste infectis, us-
 que solis administrarent. Ex quibus cum Aug. Epist.
 149. concludo, nihil esse in hac vita, & maxime hoc
 tempore, factus & laici, & hominibus acceptabi-
 lissus, Episcopi, aut presbyteri, aut diaconi officio, si
 perfunctorie atque adulatorie res agatur: sed nihil
 apud Deum miserius, tristius, & damnabilius. Item
 nihil esse in hac vita, & maxime hoc tempore, diffi-
 cilius, laboriosius, periculosius, Episcopi, aut Pres-
 byteri, aut Diaconi officio, sed apud Deum nihil bea-
 tius, si eo modo mistetur quo noster Imperator B
 jubet. DIXI.

Habita in Scholis Theologicis. Anno 1611.

4. May.

ORATIO III.

Quid de Salomonis salute probabiliter sentire
 liceat.

QUAMDIU sumus in hoc corpore quod
 corrumpitur & aggravat animam, etiam si
 ad nutum cuncta deseriant, etiam si
 nihil molestum irrepit, nihil adversum
 terreat, nulla carnis oblectamenta superent, di-
 cente tamen Apostolo, *Qui se existimat stare, vi-
 deat ne cadat: nemo est tantâ firmitate sustul-
 tus, ut de suâ stabilitate debeat esse securus. Manet
 enim caro concupiscens adversus spiritum, & spi-
 ritus adversus carnem: & dum inimici hominis
 domestici ejus, plena sunt omnia periculis, plena
 laqueis, insidiantur cupiditates, blandiuntur ille-
 cebræ, & ocio juncta fatuitas panis Sodomum
 ita suscitatur, ut venter rerum affluentia æstuans non
 raro despumet in libidinem. Paucorum est enim
 tam solida fortitudo, ut nullo prosperitate, nullo
 abundantia lenocinio quantiantur: imò multos
 fidelium non adverte tantum, sed etiam secunda
 corruptunt, prosperitas scilicet, stultorum perdit
 illos, & verificatur illud Poëtæ.*

Prover.
 1.

Luxuriant animi rebus plerumque secundis.
 Magna sunt quæ scriptura refert de Salomone
 præconia. Quod enim diligeret eum Dominus,
 amabilis Domino vocatus est, 2. Reg. 12. Quia
 postulaverat cor docile & sapientiam ad discernen-
 dum judicium; Dominus Deus dedit ei cor sapiens
 & intelligens, in tantum ut nullus ante illum similis
 ei fuerit, nec post eum surrecturus sit. 3. Reg. 3.
 Ejus sapientia præcedebat sapientiam omnium
 Orientalium & Aegyptiorum, & erat sapientior
 cunctis hominibus. 3. Reg. 4. Verum hic talis ac
 tantus, innixus super baculo arundineo prosperi-
 tatis; dum requiem dedit ei Deus per circuitum,
 & non est Sathan, neque occurus malus. 3. Reg. 5.
 obliviscitur Dei creatoris sui, tanquam equus &
 mulus quibus non est intellectus, inclinat femora
 sua mulieribus. Ecclesiast. 47. *adamat mulieres
 alienigenas multas, 3. Reg. 11. & quod nequitie
 caput est, idolis ac simulachris gentium sacrificat.*
 Sed nunquid sic offendit ut caderet? An in tanto
 virtutum naufragio tabula penitentia defuit, qua
 fluxum hujus mundi mare transiens, portui salutis
 appelleret ac terram viventium inveniret? Sub

judice is est, Auditores, & sub tali giudice qui so-
 lus novit quid misericordiae, quid penitentiae Sa-
 lomoni contulerit. Quapropter non eò in arenam
 hanc descendit, ut alterutram partem definire, ac
 velut indubiam affirmare velim: sed propositi
 nostri est, allatis primum quæ impoenitentiam
 videntur arguere, probabiliter salutis ejus
 ostendere. Favete & attendite.

Scriptura 3. Reg. 11. Salomonis instar equi in-
 domiti in mulieris lascivientis luxurias, & quæ ex
 his filiz prodierunt, idololatrias, non commemo-
 rat modo, sed graviter reprehendit. *Everunt (ait)
 ei uxores quasi regina septingenta, & concubinae tre-
 centia, & averterunt mulieres cor ejus. Cumque
 jam esset senex, depravatum est cor ejus per mulie-
 res, ut sequeretur Deos alienos, nec erat cor ejus
 perfectum cum Domino Deo suo, sicut cor David
 patris ejus &c. Igitur iratus est Dominus Salomonis
 quod aversa esset mens ejus à Domino Deo Israël.*
 Ecce graves lapsus, & in senio: quando igitur pen-
 nitentiâ ductus? Certè quorum Sanctorum lapsus
 meminit scriptura, eorundem non reticet peni-
 tentiam. Culpatur v.g. Adam Gen. 3. quod com-
 ederet de ligno de quo præceperat ei Deus ne com-
 ederet: ejus penitentiam habemus Sap. 10. ubi de
 Sapientia dicitur; *Hac illum qui primus formatus
 est à Deo pater orbis terrarum: cum solus esset crea-
 tus, custodivit, & eduxit illum à delicto suo.*

Referitur Gen. 38. Judas Patriarcha fuisse co-
 pulatus Thamar nurui suæ: sed cognito crimine
 dicitur, *ultra non cognovit eam.*

Secundi Reg. 11. Davidis adulterium homi-
 cidio aggravatur. Verum David ipse, cap. ejusdem
 lib. 12. dicit, *Peccavi Domino: misericordiamque
 profusis lacrymis precatur psalmo quinquage-
 simo.*

Quarti Reg. 21. *Manasses fecit malum in cons-
 pectum Domini, edificavit excelsa, erexit aras, &
 fecit lucos. Insuper etiam sanguinem innoxium fudit
 multum nimis, donec impleret: Jerusalem usque
 ad os. Sed 2. Paralip. 33. postquam coangustatus est,
 oravit Dominum Deum suum, & egit penitentiam
 coram Deo patrum suorum.*

Judicum 16. Sampson ingreditur ad mulierem
 meretricem. Verum cor ejus postea contritum &
 coram Deo fuisse humilium testatur Apostolus
 ad Hebræos 11. ubi eum Sanctorum adscribit
 catalogo. Salomonis autem peccata cum graviter
 scriptura infectetur: nullum doloris, nullum pen-
 nitentiæ, nullum salutis ostendit indicium. Quod
 enim quibusdam visum est librum Ecclesiasten
 esse Salomonis penitentiam agentis; ex eo de-
 struitur, quod ubi ejus acta ordine recensentur
 tam in 3. lib. Reg. cap. 4. quam in Ecclesiastici
 ca. 47. prius de libris quam de amoribus sermo est;
 quodque dum Ecclesiastæ 2. delicias suas enume-
 rat, uxorum & concubinarum ne meminit quidem,
 quinimo addens, *Sapientia perseveravit mecum;*
 evidenter docet libros Sapientiales tum se
 scripsisse cum sapientia quæ non habitat in corpore
 subito peccatis, adhuc eum inhabitante, nondum
 posuisset maculam in gloria sua, nec inclinasset
 femora sua mulieribus.

Accedit quod Salomonis post tanta flagitia sa-
 lus incentivum videretur esse peccatorum. Secu-
 ritatis enim amatores ad præsumendum de Dei
 misericordia anam hite arripient: & cum in pro-
 fundum venerint peccatorum, contemnent, Salo-
 monis exemplo conversionem in ultimam vitam
 sene-